M. ANTONII CHRISTOPHORI CONG. S. PAULLI ... ORATIO IN FUNERE BENEDICTI 14...

Marco Antonio Cristofori

M. ANTONII CHRISTOPHORI

CONG. S. PAULLI

In Seminario Bonomienſi Humaniorum Litterarum Profeſſoris

ORATIO
IN FUNERE
BENEDICTI XIV.
PONT. MAX.



1872

BONONIAE, MDCCLVIII.

Ex Typographia LONGHI. *Superiorum auctoritate.*

X in X

EMINENTISSIMO AC REVERENDISSIMO

VINCENTIO MALVETIO

CARDINALI AMPLISSIMO

ARCHIEPISCOPO BONONIENSI

S. Q. R. I. PRINCIPI

M. ANTONIUS CHRISTOPHORUS CONG. S. PAULLI

S. P. D.

BENEDICTO XIV. *Pont. Max. ab hominibus nuperrime erepto, atque a Summo Deo Cæleſtem in Patriam revocato, dandam nobis operam continuo putavimus, ut Homini virtute, gloria, rebus geſtis omnium gentium, omniſque*

 me-


memoria facile Principi, atque de nobis optime merito, quoquo modo poſſemus, juſta laudum perſolveremus. Ob eam itaque cauſſam, quod te VINCENTI *Princeps Eminentiſſime non latet, nonnulla ego properans, feſtinanſque ſoluta oratione, atque ligata ſcripſi; ingenuorumque Adoleſcentum, quos Præclariſſimo hoc in Seminario tuo ad pietatem, atque ad optimas facultates informamus, opera ad ea pronuntianda uſus ſum, ut, & ipſi erga tantum Pontificem, cujus perpetua in illos, opinioneque majora promerita fuiſſent, grati animi argumentum qualecumque, indiciumque præberent. Accidit autem, neſcio quo modo, ut meus ille labor vulgo probaretur; multique (id quod ne optare quidem auſus eſſem) a me familiariter peterent, ut quæcumque de* BENEDICTO *recitata, me auctore, eſſent, typis deſcribi curarem. Cujus ego rei etſi nihil eſſe aliud in cauſſa intelligerem, niſi quod ſummum Hominem, qui tantum reliquit deſiderium ſui, meis lucubratiunculis laudaviſſem, idque omnium maturiſſime, quod ipſum aliquid habere momenti ad approbationem ſolet: tamen non recuſavi, quin ſaltem oratio, quam illi ſtudioſius expoſcerent, ederetur. Neque enim mihi verendum fuit, ne quis illam reprehenderet, quod non omnia, quæ a* BENEDICTO XIV. *præclare geſta ſunt, complecteretur, quæ-*

que

que notiſſima eſſent omnibus dumtaxat attingeret. Quos enim paulo æquiores eſſe putem, quin feſtinanti, quæque ſubito in mentem venirent dicanti veniam dare noverint, præſertim cum certa id officii ratione impellente factum fuiſſe intelligant? Aut cui non ſtatim occurrat animo, quæ verſibus tractata ſplendeſcere magis poſſent, ea fuiſſe conſulto prætermiſſa, ne iiſdem ſæpe rebus auditorum aures non ſine faſtidio perſonarent? Tibi vero, VINCENTI Princeps optime, orationem hanc meam ultro ſiſto, atque a te vehementer peto, illam ut perhumaniter excipias, quæ tua eſt: nam & in ædibus nata eſt plane tuis, & ab eo confecta, qui induſtriæ ſuæ fructus omnes tibi debet. Atque hic quidem quam multa mihi, ac quanta ſponte ſe ſe offerunt animo, quæ de te perſequar, ex quibus poſſit quivis tua in nos ſtudia, tuamque incredibilem humanitatem non obſcure conjicere? Sed tua me ſingularis modeſtia ab ejuſmodi detinet oratione, qui acceptururum te munuſculum hoc a me ea lege dixiſti, niſi quid de te prædicarem, cui mihi ſanctiſſime parendum eſt: neque invitus facio: quippe qui ipſa hac lege novum quoddam, mirificumque virtutis ſpecimen præ te tuliſſe cognoſco, quod unum ad eximiam, numeriſque omnibus abſolutam laudationem ſatis per ſe eſſe videatur. Ego, Princeps Eminentiſſime, a Deo O. M. omnibus

votis

votis peto, ut quod mox ſuſcepturus es legitimum iter, ac neceſſarium ad Urbem, proſperum tibi eſſe velit, teque quam diutiſſime nobis ſalvum, incolumem, ac florentiſſimum conſervet. Tu fac, quod facis, ut nos, ſtudia, ac res omnes noſtras tuearis. VALE. *Dat. ex Ædibus Seminarii VIII. Kal. Jun. Ann. MDCCLVIII.*



IN FUNERE

BENEDICTI XIV.

PONT. MAX.

ORATIO.

SI quantum doloris nuper accepi, cum de BENEDICTI Pont. Max. morte allatum nobis fuit, tantum etiam ingenio, atque eloquentia valerem, ſperarem profectò, AA, me & parem ejus laudibus orationem habiturum eſſe, & no-

ſtræ

ſtræ erga illum pietati, atque obſervantiæ ſatis eſſe facturum. At cum ingenium minus etiam quam exiguum, dicendi vero facultas in me nulla ſit; tantus autem mentem dolor opprimat, ut is vel maximi cujuſquam ingenii vim infringere poſſit; vereor equidem vehementer, ne parum omnino digna & illius virtutibus, & ſingularibus noſtrum omnium in illum ſtudiis laudatio mea videri debeat. Enim vero cujus, me etiam longe majoris, non concidat animus, cujus memoria non dilabantur omnia, in tam acerbo omnium caſu, cum id, quod ego cogitans ſentio, intelligat, filio omnium clariſſimo, atque optimo Principe hanc Urbem, nos patrono amantiſſimo, atque munificentiſſimo; chriſtianam Remp. univerſam Pontifice poſt hominum memoriam maximo eſſe orbatam? An ego poſſum has ipſas ædes intueri, quin tot, tantaque ejus incredibilis in nos benevolentiæ, ac caritatis documenta recorder; doleamque illum nobis ereptum, cui ornamenta omnia, & fortunas noſtras acceptas referimus? Vos vero, Cives, quam graviter illius interitum tuliſſe deberis, quem communis hæc veſtrum omnium parens ex omnibus unum ſuſpiceret maxime, atque amaret, quod ſibi pietate filius, beneficio parens, Reique Publicæ adminiſtratione, ac cura, qui revera fuit, Princeps nullo non tempore

pore

pore inventus ſit? Ampliſſimum autem hujus ipſius Civitatis Ordinem quanto in mœrore eſſe putabimus, qui ſibi Pontificem ereptum intelligit, qui Patrum cauſa vellet omnia, quique eorum conſiliis tantum tribuerit, ut, quæ ipſe ſancire per ſe poſſet, de iis ſæpe leges ab illis ferri voluerit, eorumque multis in locis dignitatem cumulatiſſime auxerit? Christiana denique Reſp. quam vehementer univerſa queratur oportet, Pontifice Max. ſibi abrepto, qui divino ingenio, admirabili doctrina, ſingulari prudentia eſſet præditus, quemque veluti quoddam perfectiſſimum pietatis in Deum, morumque ſanctitatis inſtar haberet? Quid longa opus eſt oratione? Uno profecto BENEDICTO Pont. Max. amiſſo, omnia mihi omnes quodammodo amiſiſſe videntur. Oh nunquam ſatis dolendam jacturam! Oh noſtram incredibilem calamitatem! Equidem, Auditores, ſuccumbit jam dolori animus hæc cogitans, & ita avocatur ab inſtituto ſuo mens, ut, quo me vertam, atque unde principium ſumam orationis, vix, aut ne vix quidem videre poſſim. Neque me frequentia hæc tanta veſtra, quæ alacritatem afferre, ſi alia eſſent tempora, mirificam poſſet, quidquam recreat, aut reficit, imo animos potius adimere videtur. Vos enim, ſqualoremque, ac lacrymas veſtras lugubres cum intueor;

B cum

cum veſtrum uniuſcujuſque in ore quamdam ipſius mœroris faciem videre mihi videor, qui poſſum non incredibili quadam moleſtia affici, qui poteſt non hinc etiam maximus doloris cumulus ad priſtinam illam ægritudinem accedere? At vero tu, Deus Opt. Max., qui in ornando, amplificandoque BENEDICTO tam profuſus fuiſti, quemque nunc tuo ipſo aſpectu beatiſſimum efficis; tu, ſi hanc rerum magnarum ab illo geſtarum commemorationem ob illius memoriam, atque ad bonorum omnium imitationem commendas, mihi adſis. tu hoc mihi tribue, ut quod impoſitum eſt oneris, quodque neque deprecari, neque deponere, neque in alios rejicere honeſte licuit, quod etiam grati animi ergo lubens ſuſcepi, ita perferre poſſim, ut & illius meritis aliqua ratione ſatisfaciam, & iſtorum de me expectationi reſpondeam.

Si qui unquam poſt hominum memoriam fuerunt, qui ſatis diu gloriæ vixiſſe exiſtimandi ſint, in eo ſilicet numero in primis omnium BENEDICTUS Pontifex Max. haberi debet; qui quantum divini honoris amplitudine, ac majeſtate cæteris omnibus antecelluit, tantundem omnibus iis rebus, quæ nobiliſſimum efficere hominem valent, cunctos facile ſuperavit. Quare ſi, ut ipſe ſibi beatus videri potuit, ita & Chriſtiana Reſp. beatiſſima eſſe, ac floren-

rentiſſima perinde nunc videretur, atque ea paullo ante, dum ille viveret, & erat, & ubique gentium habebatur; lætandum equidem nobis potius, quod ille ex hominum vita migraverit, quam lugendum judicarem. Quis enim non præclare cum illo actum putet, qui ex corporis vinculis tanquam e carcere in Cælum evolaverit; certumque illic, ac definitum locum teneat, ubi beatus ævo ſempiterno fruatur, præmiaque ſuis rebus geſtis digna, & majora etiam a Deo Optimo Max. aliquando aſſecutus ſit? At vero hoc etiamnum dolendum maxime eſt, quod nobiſmetipſis, & Chriſtianæ Reſp. univerſæ certe parum ille vixerit. Ita eſt Benedicte Pater Sanctissime, Te ego cum grata recordatione intueor, te, inquam, beatiſſimum jure exiſtimo, qui rebus illis omnibus cumulatiſſime auctus fuiſti, quæ ad veram Gloriam optari ab hominibus, aut comparari poſſunt. Neque ego profecto aut de Patria quidquam, aut de Familia, in qua natus es, prædicabo. Hæc enim quanquam ea ſunt, quæ plurima mihi, & maxima ad dicendum ſuppetere, & ad nomen cujuſquam illuſtrandum valere plurimum poſſe videantur, tamen in his ſi immorarer, tempus abſumere me dicendo putarem, de te præſertim orationem habiturus, qui unus plus utriſque ſplendoris attuliſti, quam vel patrum me-

moria, vel majorum, vel noſtra, ab omnibus, quos potiſſima fuiſſe ornamenta ſua prædicant, illæ acceperint, quæque tibi longe plus debere, quam tribuerint nobilitatis, ultro fatentur. Illa, illa, inquam, gloria eſt tua, quam tuis tibi moribus, quam religione, quam ſapientia, quam omni acta vita peperiſti: hæc ea ſunt, quæ vigebunt memoria ſeculorum omnium; quæ poſteritas alet, quæ ipſa æternitas ſemper tuebitur. An eſſe ullam uſquam oram tam deſertam putemus, quo tua non pervaſerit ſanctiſſima vivendi ratio jam inde a pueritia inſtituta, atque ad extremam uſque ſenectutem conſtantiſſime ſervata, & aucta? Quæ ſunt tam infenſæ Pontificio nomini, ac dignitati gentes, quæ non illam vel ingratiis ſuſpexerint, admiratæque ſint? Quis enim hac noſtra ætate te nominavit, etiamſi illi, propter hæreſim, in qua verſaretur, Pontificia majeſtas eſſet peroſa, quin de tua integritate, morumque ſanctitate multa vel invitus prædicaverit? Quis eſt qui non incredibilem tuam abſtinentiam maxime admiratus ſit, quod privatam tuorum rem poſteriorem ſemper rei publicæ duxeris; in tantiſque opibus, atque imperio nunquam augendum illorum cenſum curaveris, atque adeo ne cogitaveris quidem unquam de ea re quidquam? Teſtis eſt Anglia nobis inimiciſſima, a qua ſæpe de te ejuſ-

modi

modi elogia accepimus. Teſtis Boruſſia, quæ tuarum virtutum Regem ipſum ſuum predicatorem habuit. Teſtes denique omnes quot ſunt infenſæ bonis provinciæ, ac propter hæreſum, quæ in ipſis graſſantur, peſtem miſerrimæ, quæque ſua ſponte quæcumque a noſtris hominibus, inprimis vero ab iis, qui religioni præſunt, aguntur, in deteriorem partem rapere affectant. Nam omnes ſummis te extulerunt laudibus, teque ſanctiſſimæ diſciplinæ, morumque optimorum exemplar quoddam divinitus datum eſſe paſſim de te, ſemperque dixerunt. Hæc autem ego, Auditores, dum memoria repeto, tantum quidem laudis inde BENEDICTUM adipiſci intelligo, ut cætera ejus in hoc genere monumenta (abſit verbo invidia) minus mihi ad hanc rem valitura eſſe videantur. Nam quæ ipſe & in Urbe, & in hac veſtra Civitate, aliiſque ſuæ ditionis in oppidis, Templa erigenda, aut amplificanda ære curavit ſuo, aut Hoſpitales, quas Ægris conſtruxit, domus, aut munificentiſſima munera, quibus quamplurima ſæpe fana ornavit, aut vis illa auri tam ingens, quam in iis alendis erogare conſueverat, qui aut in nulla re eſſent, aut pro generis dignitate ſuſtentare familiam non poſſent, ſunt quidem hujuſmodi, quæ palam facere omnibus, atque teſtari hominis pietatem quam diutiſſime debent. Sed

tamen

tamen cum in urbibus, quæ hominem unice amarent, demiſſeque colerent, atque obſervarent, quæque illius ſubeſſent imperio, acta ſint; quod a nobis in primis celebrentur, qui bonis illis fruimur, quique illi ſponte ſumma omnia, qui Chriſtianam Remp. moderatur, tribuimus; ab amore profecta, gratoque animo noſtra laus videri aliquando aliquibus poſſet: ipſa vero monumenta, (quæ eſt humanarum rerum conditio) temporis diuturnitate everti poſſunt, & confici: At vero quæ inimici illi de BENEDICTO litteris mandaverunt, quamque de illo famam vulgarunt, quis tandem hæc aut interire unquam poſſe arbitretur, aut amori, aut cupiditati alicui aliquando tribuat? Habent, Auditores, habent hoc laudes ab inimicis hominibus profectæ, ut nemo unquam eas ne in dubium quidem auſit vocare: quique tale aliquid ſuis virtutibus conſequi potuit, is illud demum, quo nihil eſt amplius, quodque nulla unquam delere poſſit oblivio, conſecutus eſſe videtur. Quod ſi quis forte me exiſtimet æquo magis illorum judicio tribuere, atque optimorum virorum teſtimonio BENEDICTI Sanctiſſimum vitæ genus comprobari malit, Principes ego Chriſtiani nominis omnes, in primis autem Clementem undecimum, Innocentium duodecimum, Benedictum decimumtertium, Clementem duodecimum

mum Pontifices Maximos, quibus operam ipſe navavit ſuam, a quibuſque per omnes honorum gradus evectus, in ſummum Chriſtianæ Reipublicæ conſilium adſcitus fuit, appellabo, qui hominis innocentiam, abſtinentiam, religioniſque propagandæ, ac morum diſciplinæ reſtituendæ ſtudium tanti fecerunt, ut ex omnibus, quos haberent rerum gerendarum adminiſtros, quoſque ſibi advocaviſſent, PROSPERO LAMBERTINO, ut tunc nominabatur, primas tribuerent. Minores etiam Pontifices quotquot ubique ſunt, qui certis præſunt Eccleſiis, teſtes citabo, qui cum ab eo inſtitutam, litteriſque traditam vivendi, moderandique cæteros rationem ſequantur, tum denique & ſibi magnopere placent, & quæ ſuarum ſunt partium, omnino omnia præſtitiſſe ſibi facile perſuadent. A vobis denique ipſis, Auditores, ad quos ex toto terrarum Orbe permulti, qui ad Urbem cogitant, quotidie confluunt, a vobis inquam expoſco, quot vos ab illis, ac quanta de BENEDICTO prædicari audiviſtis, cum nondum hominem vidiſſent? Reduces vero ab Urbe, cum & os intueri, & deoſculari pedes, & vocem audire licuiſſet, & ſacra facere perſpexiſſent; quanta illi ipſi cum voluptate animi expectationem, opinionemque de illo ſuam ſuperatam fuiſſe fatebantur? Cum autem rem Bononienſem ſacram præſeus adhuc mode-

ra-

raretur, recordamini per Deum immortalem, qua voce, quo vultu, qua totius corporis dignitate ſacris ritibus, ceremoniis, & officiis ampliſſimi Sacerdotii fungeretur. Non ne illum ita intuebamini, tanquam aliquem ad vos e Cælo delapſum? Non ne illius in Deum pietatem paſſim celebrabatis, ſuoque exemplo omnes ad religionem hortari, atque inflammare dicebatis? Ad Supremum vero Pontificatum evecto, quantum incrementum religionis factum exiſtimatis ab eo fuiſſe, qui hac una in re fieri ſe major quotidie videretur, acceſſionemque dignitatis ſanctiorem vitæ rationem poſtulare intelligeret? Quotquot Romæ interdum per hoſce annos fuiſtis ex quo ipſe Pontifex Max. creatus fuit, vos palam facite, ſi quid fingi, aut excogitari poſſit, ad vitæ ſanctitatem quod ſpectet; neque ipſe diligentiſſime præſtiterit? Oh ante hoc tempus nunquam fere auditam, ac ſingularem pietatem, quæ omnium omnino gentium oculos in ſe converterit, quæque in admirationem ſui traxerit eos ipſos, qui infenſis oculis Catholicæ Religionis principes viros intueri conſueverunt, atque ad quam boni vix, aut ne vix quidem quidquam accedere potuiſſe judicaverint!

Sed vero non una illum pietas immortalitati commendavit, quæ quanquam & maxima fue-

fuerit, & digna quam omnes imitentur; tamen ſi ampliſſimos magiſtratus, in quibus nullo non tempore verſatus eſt, ſpectes, haud illa per ſe ſatis eſſe homini ad veram, ſolidamque gloriam potuiſſet. Quæ cum mirifica illa pietate in illo ſemper conjuncta fuit incredibilis ſapientia, hæc BENEDICTO, hæc cumulum veluti quemdam gloriæ attulit; hac illud conſecutus ille eſt, ut ne optare quidem ad laudem majora potuiſſe videatur. Utinam vero quam late hanc ſapientiam patere intelligo, Auditores, tantundem in ea immorari poſſem, quæque ab eo geſta ſunt prudentiſſime, ſingula perſequi liceret: integram ſane, ingentiſque voluminis hac una de re hiſtoriam exararem, potius quam orationem conficerem. Sed cum tot, tantaque ſint, quæ hac una de re proferri deberent, ut ne colligendis quidem ſummis capitibus ſatis eſſet, ſi totum, quod mihi datum eſt tempus ad dicendum in ea inſumerem: plurima quidem, eademque maximi momenti a me ſunt prætereunda; & ea ipſa, quæ proferam, indicare potius, quam oratione perſequi cogar, ne diutius quam par eſt, veſtra in audiendo humanitate abuti videar. Itaque nihil dicam, quantam in cæteris, quos geſſit, magiſtratibus prudentiam præ ſe tulerit; quæ profecto ea fuit, ut iis, quos paulo ante nominavi, Ponti-

tiſi-

tificibus Maximis in primis omnium eo nomine ſe commendaverit. Nam quod in providendo, atque in conficiendo omnium ſolertiſſimum eſſe viderant, omnes ultro LAMBERTINO demandarunt provincias, quarum delectu religio veluti ipſa continetur, quæque niſi conſilio, ac ſapientia regantur, Chriſtiana Reſp. univerſa in diſcrimen adducatur neceſſe eſt. Nihil etiam de iis dicam, quæ, cum hanc moderaretur præſens Eccleſiam, ſub oculos veſtros geſſit, de quibuſque vos me facile docere poteſtis: neque datas ad Carolum Cæſarem litteras proferam quibus in ſumma illa, qua propter inopinatum quendam triſtemque eventum afflictabatur, animi ægritudine, reviviſcere ille viſus eſt, neque in terris LAMBERTINO Majorem eſſe hominem judicavit: neque commemorabo ſervatum per illum, unica epiſtola ex tempore data veſtræ hujus ditionis oppidum, cum illi ferrum flammamque militum copiæ, quæ forte hic eſſent, minitarentur. Hæc enim quamvis maxima ſint, non ea tamen ſunt, ex quibus tota quanta fuit BENEDICTI prudentia cognoſci poſſit. Illud, per Deum immortalem, animo, ac cogitatione recolite, quibus ille temporibus Pontifex Maximus Eccleſiæ univerſæ præfuerit. Nam *ſi merito Gubernatorem*, ut Jo: Chryſoſtomus, Sanctiſſimus ille, diſertiſſimus, ac Sapientiſſimus Vir ſcri-

ſcriptum reliquit, (a) *admiramur, non eum tranquillo mari, & ſecundis ventis vectores in portum incolumes ducit, ſed cum inſaniente pelago, fluctibuſque ſævientibus, qui in navi ſunt, inter ſe diſſentiunt, magna tempeſtate intus, & foris navigantes exagitante, navim tamen poteſt dirigere, & conſervare:* Quibus nos laudibus efferemus BENEDICTUM XIV., qui Chriſtianæ Reip. navim, cum multis eſſet fluctibus belli foris, intus vero quaſi conjurationibus agitata, in portu tamen ſalvam, incolumemque collocavit? Quis noſtrum ignorat, quot in Gallia, iidemque opibus, dignitate, ac potentia florentiſſimi homines nova quotidie molirentur? Quem latent inteſtina illius regionis eo nomine bella? quot diſcordiæ! quot diſcrimina! in tanta vero rerum perturbatione quis laborantibus opem tulit? Quis fere lapſos erexit, præter unius BENEDICTI ſummam auctoritatem, qui nullum prætermiſit tempus conſulendi, hortandique cum alios omnes, tum ipſum in primis Ludovicum Regem, ut in officio continere concitatam multitudinem vellet, ut ne fruſtra Chriſtianiſſimus appellari pateretur: ut Pontificum Max. parere legibus omnes juberet: Id quod ille ſanctiſſime præſtitit, ſapientiæque plenæ epiſtolæ ſibi, atque omni-

(a) *Homil. in S. Ignat. M. n. 3.*

bus Galliæ Proceribus, Sacrorumque Rectoribus a BENEDICTO datæ obtemperandum mandavit; tantumque ea valuit, ut ſqualorem, ſordeſque lugubres depoſuiſſe tum quidem nobiliſſima illa Regio viſa ſit, in priſtinamque dignitatem reſtituta, Religio autem ita confirmata, ut ſi diuturna pace uſa eſſet. Exortas autem inter Siciliæ Regem, & Hieroſolymitanos Equites belli cauſſas, quam facile idem unica, eademque amoris cujuſdam, ſapientiæque incredibilis plena epiſtola ſuſtulit? Pontificii vero imperii fines, cum tota Italia bello vexaretur, neque hæc ipſa Regio a Militum itineribus libera eſſet, cujus denique Sapientiæ fuit, ita tueri, ut religio exercitibus eſſet nocere nobis, perinde atque ex ſuis ſi fuiſſemus? Sed enim Orationis exitum difficile eſſet invenire, ſi proferre ſingula liberet, in quibus quantum propter Sapientiam poſſet BENEDICTUS XIV. præ ſe tulit. Si enim eos dumtaxat percenſere vellem, quos certis ſui imperii provinciis præfecit, aut quibus Magiſtratus, qui in Urbe ſunt, ampliſſimos detulit, aut eos, quos ad Reges, atque ad Reſp. legatos miſit, aut minores, quos creavit, Pontifices; in primis vero lumina illa Chriſtianæ Reipublicæ nobiliſſimos, ſpectatiſſimoſque Viros, quos in ampliſſimum Orbis terræ, Religioniſque conſi-

lium

lium coaptavit, quam multa mihi, ac quanta eſſent dicenda, ut vel leviter attingerem ſingulorum res geſtas, magnamque mentem, atque animum, quibus illi tantam ſui apud ipſum BENEDICTUM opinionem excitarunt, ut a viro poſt hominum memoriam Maximo in Reip. procuratione adminiſtri conſtituerentur? Itaque ut plura non perſequar, conſtitutique mihi ad dicendum temporis aliquid iis rebus dem, quæ reliquæ ſunt: Illud ego dumtaxat affirmo, vel ex his ipſis, quæ hactenus collegi, facile intelligi poſſe, BENEDICTUM XIV. ſatis laudi vixiſſe. Quis enim tot illa, ac tanta eſſe non fateatur, ut ne optare quidem ad veram gloriam plura, aut majora a Deo O. M. quiſquam auſit? Utinam vero ea nobis oculorum acies eſſet, ut & templum illud æternum, beatiſſimumque introſpicere liceret, ad quod iſtis corporis cuſtodiis liberatus BENEDICTUS XIV. evolavit; Sedemque illam contemplari poſſemus, quam tenet, ingentemque gloriam admirari, quam Deus ipſe rerum bene geſtarum remunerator Munificentiſſimus homini tribuit: Haud enim ſcio, an quemquam noſtra memoria nominare illo Beatiorem poſſemus, virtuteque majorem, quo nihil ad veram Gloriam fuit unquam, aut eſſe poteſt amplius.

Age vero BENEDICTI Pontificis Maximi doctrinæ, quæ poteſt par oratio inveniri? Quid eſt, quod quiſquam dignum illa, aut alicui novum poſſit afferre? Quem enim fuiſſe putemus, quin illum hoc maxime nomine cognitum haberet? Quis fuit eruditus homo, quin ad illum, aut de illo ſcripſerit, gauderetque doctiſſimo Pontifici probatus eſſe? Quis non ſæpe ſuſtulit in cælum manus, omniumque rerum Moderatori Deo immortales Gratias egit, quod regnaret Pontifex is, qui in tam difficili Chriſtianæ Reip. tempore ita in omnes partes aciem intendere poſſet, ut nihil ſibi improviſum, nihil inopinatum, nihil novum accideret; quippe qui res, homines, ac tempora noſſet omnia, ac quidquid in ſacra ineſt hiſtoria, ex qua optima Chriſtianæ Reip. adminiſtrandæ Ratio maxime ſuppetit, perceptum animo haberet: neque jus ullum, neque lex eſſet, neque mos, neque inſtitutum, quod ejus ſcientiam fugeret, ut hiſce præſidiis facile communi ſaluti conſulere poſſet? Quid de iis dicam, quæ BENEDICTUS in lucem edidit? Nonne ea ſæpe typis vulgari, in Epitomen redigi, quæque Etruſca lingua fuiſſent ſcripta, Latine reddi, quo latius legi poſſent, oportuit, ut Eruditorum ſtudiis, & cupiditati ſatisfieret? Sed hinc Auditores, hinc eſt, cur ob

illius

Digitized by Google

illius intetitum vehementer doleamus . Quanquam enim & hoc ipſe nomine ſatis vixerit , cum artes liberales omnes, ſcientiaſque, quam late patent , animo perceptas haberet , ut nihil,quod ediſcere poſſet, reliquum eſſe videretur; tamen ſi quantum accedere etiamnum commodi ex eadem doctrina, atque ornamenti Reip. quivisset, animadvertere voluerimus , non ſatis quidem illum Chriſtiano Orbi vixiſſe facile intelligemus . Quis enim noſtrum ignorat , quot, quantaque quotidie accidant, quæ neque regi , neque conſtitui, neque cohiberi, aut refelli ſine ſumma doctrina poſſunt? Quot enim paſſim in ſanctiſſimam Chriſti Religionem hæretici homines pravas opiniones, tanquam venenata tela, jaciunt ? quæ nemo repellere valeat , niſi divinitus traditam ſcientiam ita novetit , ut unde certum auxilium petat ſtatim videre poſſit ; aut quo ſe tuto recipiat , perfugium ſibi comparaverit , aut quibus veluti machinis peſtes illæ, ac belluæ proſterni, ac profligari debeant , cognovetit . Quin in ipſo veluti Chriſtianæ Reip. ſinu quot undique, ac quam ſæpe quæſtiones divinis de tebus, aut de optima morum diſciplina oriuntur, quas componete nemo unus poteſt , niſi eadem doctrina fuerit cumulatiſſime inſtructus . Satis profecto eſt , Auditores, ea memoria repetere, atque intueri, quæ annis hiſce

hiſce duodeviginti conſtituenda vario hoc in genere ipſi BENEDICTO, ac decernenda fuerunt, ut tantam hanc hujus doctrinæ neceſſitatem perſpectam omnino habeamus. Tot enim ea ſunt, ut patrum memoria, aut majorum nullus Pontifex Maximus extiterit, cui tam ingentia volumina iis de rebus edenda fuerint, quique tot leges aut latas confirmaverit, aut noviter ipſe tulerit, quot tulit BENEDICTUS: ex quo quidem illud etiam non obſcure cognoſcimus, majorem quamdam in dies ejus rei propoſitam eſſe neceſſitatem. Quæ cum ita ſint, quis non vehementer doleat, ereptum nobis eſſe illum, qui cum cæteris rebus omnibus, tum maxime divinatum rerum, ſacrarumque cognitione, ac ſcientia omnium, quot ſunt, & eſſet maximus, & haberetur? Equidem, Auditores, ſi quis fuit unquam, quem immortalem, ſi fieri poſſet, omnes eſſe cuperemus, BENEDICTUS XIV. is fuit, cujus incredibilis Doctrina noſtrum omnium ſalutem, cunctamque Remp. complexa eſſet, quoque perempto, firmiſſimo veluti præſidio ſpoliati eſſe videmur. Cujus enim in poſterum conſilio utemur, cujus auctoritatem ſequemur, cui perinde fidamus, atque iis aquieſcere ſolebamus, quæ certis de rebus, ſententiam rogatus BENEDICTUS XIV. docebat, mandabat, decernebat? Aut quem nanciſci poterimus,

qui

qui tam alacriter, atque ipſe, tantaque mentis, atque animi firmitate continuo decidere auſit, ſi quid forte contigerit ante hoc tempus nunquam auditum, aut diſputationum plenum, ac controverſiarum?

Quanquam quid ego animi ægritudinem veſtram, meamque augere hujuſmodi oratione, neque potius lenire jam ſtudeo? Obiit, Auditores, diffiteri non poſſumus, BENEDICTUS XIV, at non eodem cum Corpore hominis etiam Doctrina continetur ſepulcro: viget illa etiamnum, atque in omnem æternitatem vigebit; creditamque, dum viveret, ipſi BENEDICTO Chriſtianam Remp. tuebitur eadem, atque defendet. In laborioſis enim illius, admirabiliſque ſapientiæ refertis voluminibus quotquot poſthac in celſiſſima, omniumque Principe Petri ſede locati erunt, minoreſque Pontifices, cæterique quicumque ſacris rebus præerunt habebunt profecto non ſolum quæ ad inſtitutionem ſui recipiant, ſed etiam quibus cæteris conſulant, aut impendentibus malis proſpiciant, aut afflictis jam rebus medeantur, aut eorum diuturnitati provideant, quæ optima eſſe cognoverint: ac quoties ſummi homines in poſterum quidvis deſiuient, quaſcumque leges ferent, toties ab ipſo veluti BENEDICTI ore oraculum prodire exiſtimandum erit; neque enim id aut BENEDICTO XIV. inconſulto, aut

ab

ab illius alienum ſententiis fieri unquam poterit ab iis, quos tanta illa ſapientia in admirationem, traduxerit, quique ſe, reſque amare ſuas tum denique debeant, ſi quid forte geſſerint, cujus rei ergo BENEDICTI ſimiles eſſe exiſtimentur. Id, BENEDICTE Pater Sanctiſſime, id nos in tanta, quam ob tuum Funus accepimus, animi ægritudine maxime conſolatur; Hac nos opinione, veriſſimaque ſpe ita jam levamur, ut quemadmodum propter partam tibi virtute, prudentia, fide, morumque ſanctitate gloriam nón modo interitum non lugemus tuum, ſed etiam invidemus felicitati, tibique rerum geſtarum præmia data jam eſſe gaudemus: ita & ipſo ſapientiæ nomine gratulandum tibi eidem potius, quam diutius nobis plorandum, ac conquerendum eſſe putemus. Ac Deo quidem Immortali gratias etiam atque etiam maximas agimus, quod tanta Te ſapientia præditum eſſe voluerit, quæ Chriſtianæ Reip., dum erit, univerſæ & ornamento, & præſidio futura ſit. A quo profecto Immortali Deo ipſo, ſi, quod pro ſummo ejus in nos, Eccleſiamque ſuam amore omnibus votis petimus, illud impetrabimus, ut inceptis jam de novo Pontifice comitiis eam mentem Patribus tribuat, ut Tui quamſimillimum creent Tibi ſucceſſorem, qui jure meritoque ſuo univerſæ Reipublicæ Chriſtianæ acceptiſſimus eſſe debeat; ſatis nobis ſupeique eſſe, florentiſſimoſque nos, ac beatiſſimos exiſtimabimus.... Dixi.

Vidit D. Paullus Joſephus Scotti Clericus Regularis Sancti Pauli, & in Eccleſia Metropolitana Bononiæ Pœnitentiarius pro Eminentiſſimo, & Reverendiſſimo Domino Domino Cardinali VINCENTIO MALVETIO Archiepiſcopo, & Sacri Romani Imperii Principe.

Die 2. Junii 1758.

Imprimatur.

F. P. P. Salvatori Vicarius Generalis S. Officii Bononiæ.